



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XLI. Ex vi generalis concursus non esse necessariam præutam motionem
in voluntate, moraliter determinantem illam vt liberos actus elicitat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

quod causa secunda faciat, & ut Deus ipse simul efficiat ipsum effectum, & actionem causae secundae, ut utrumque efficaciter, & infallibiliter faciat. Quia enim non vult solus facere, sed cum causa secunda, ideo necessarium non est, ut ipse Deus solus aliquid faciat. Neque etiam est necessarium ut prius operetur prioritate causalitatis, quia nec hoc etiam vult, sed operari tantum cooperando. Unde licet illa voluntas Dei sit prior duratione, & aeternitate, nihilominus ordine causalitatis est concomitans, quia solum vult cum causa secunda concurrere, & non aliter vult effectum eius, ut satis declaratum est.

Solum potest instari, quia licet causa naturalis sit determinata ex se ad agendum, nihilominus potest ex concursu alterius causae, vel materialis, vel efficientis impediri, ut ideo sepe effectus eius est contingens, posita autem efficaci voluntate, quia Deus vult talem causam agere, maior est in illa determinatio, maiorque necessitas agendi, ergo aliquid praeuium factum est in causa secunda per talem Dei voluntatem. Respondetur negando consequentiam, quia quando Deus efficaci voluntate statuit causam secundam aliquid naturaliter facere, eo ipso sua providentia ceteras causas disponit, ut aliam non impediant, & ideo necesse non est, ut aliquid impraeuium tali causae naturaliter agenti, quo infallibilis (ut ita dicam) sui effectum efficiat: nam remotis impedimentis, & applicata materia, & oblato Dei concursu omnino infallibiliter sequitur effectus. Quod si Deus praeuidens futura esse impedimenta, non vult providere modum, quo auferantur, tunc vel nullam habebit voluntatem concurrendi cum causa impedita, vel certe non absolutam, & efficacem, sed quasi conditionatam, seu secundum quid, offerendi: nimirum tali causae concursum quantum in se est, sinendo nihilominus, ut ab aliis impediri possit, ut latius in causis liberis explicabimus.

Ad sextam rationem negamus, quod naturalia agentia agendo perficiantur intrinsece, id est, noua perfectione sibi inherente, quia neque actio ipsa est perfectio agentis, ut in eadem ratione recte dicitur, neque reductio illa de potentia in actum, quae in tali agente, quando operari incipit, consideratur, est reductio potentiae obiectivae, vel receptivae in actum, sed est reductio potentiae activae, quae per se loquendo non perficitur agendo, sed perficit alud. Dico autem, per se loquendo, quia si sit virtus incompleta, perficienda erit prius per complementum virtutis: tunc autem non perficitur agendo, sed recipiendo, & sic completur, ut agat. Nec Aristoteles 8. Physic. contrarium docuit, sed solum dixit corpora moueri a motore ab alio, quia vel applicatione, vel complemento virtutis indigent, sicut sol ad illuminandum totum orbem mouetur, quia per motum ad omnia loca applicatur, postea vero illuminando non perficitur, neque per motum illum aliam perfectionem antecedentem recipit, neque etiam alij Philosophi illud dogma tradiderunt, imò D. Thomas 3. contra gent. c. 21. docet res naturales agendo comparare tantum quamdam extrinsecam perfectionem, quatenus suum esse communicando, & quasi aliis benefaciendo Deo, eiusque bonitati quodammodo similiores efficiuntur. Quod etiam confirmat D. Thomas autoritate Dionysii c. 3. de coelesti Hierarchia, dicentis diuinissimum esse Dei cooperatione fieri, quod proprie intelligitur de morali cooperatione in spirituali salute, vel propria, vel proximo procuranda, de qua etiam loquutus est Paulus 1. ad Cor. 3. dicens, *Dei adiutores sumus*. Per quamdam vero proportionem, seu analogiam omnibus causis agentibus, quatenus aliis bonitate communicat, accommodatur, ut etiam ex parte assequutus est Comment. 12. Metaphysic. text. 36. Sicut autem in Deo ipsa actualis operatio ad extra, non addit illi

perfectionem intrinsecam, sed ostendit illam, ita similitudo ad Deum in huiusmodi operatione, quae nihil in agente ponit, non est intrinseca eius perfectio, sed vocatur extrinseca, quia similitudinem quandam in bonitate à Deo participata manifestat.

Septima ratio specialiter nebat de actionibus vitalibus, & ex eo quod essentialiter, vel intrinsece, vel saltem ex natura rei pendent à principio vitali, inferrebat, non posse Deum in illam influere, nisi prius natura influat in ipsam potentiam vitalem, quae illatio neque ab arguente probatur, neque ego video quo fundamento nitatur, aut quomodo possit ad syllogisticam formam reduci, & ideo quidquid sit de antecedenti, in quo Auctor ille sumit, etiam de potentia absoluta non posse actum vitalem fieri sine influxu potentiae vitalis, quod quidem intellectum de actu vitali, sub illa duplicatione, seu quantum ad actionem vitalem, ut sic admitti non potest: de ipso autem actu vitali secundum se spectato, vel non est verum, vel saltem est incertum, illo tamen permissio in quocumque sensu negatur consequentia, cuius defectus multis modis ostendi potest, nam species impressa influit effectivè in actum vitalem videndi, licet in potentiam nihil praeuium influat. Dicitur etiam esse aliquid praeuium in potentia, sed contra: nam essentia diuina per seipsum influit effectivè in visionem beatificam, & tamen nihil influit praeuium ad illam efficientiam, nam lumen gloriae, neque est ab essentia, ut est obiectum, sed ut alias efficit per voluntatem, & orationem suam, neque est praeuium ad actionem essentiae, ut obiectum est, sed potius cum intellectu est veluti potentia cui essentia per modum obiecti cooperatur. Denique posito etiam illo praeuium concursu in potentia vitali Deus immediate influit alio concursu simultaneo in actum vitalem; ergo idem poterit facere concurrando cum sola potentia sufficienter constituta in suo ordine in actu primo ad operandum; est enim eadem ratio, quia licet daretur concursus praeuius, actus non haberet ab illo formalem rationem, seu denominationem actus vitalis, sed à sua potentia. Nec est ergo de ratione actus vitalis, quod nulla causa efficiens ex intrinseca influit in illu, sed solum, quod proximè fiat à principio intrinseco vitae, quod indigere potest virtute superioris causae, & ideo consequentia nullius est momenti, quae responsio in simili inuenitur apud D. Thomam 1. 2. D. Thomam quæst. 80. art. 2. ad 1.

CAPVT XLI.

Ex vi generalis concursus non esse necessariam praeuiam motionem in voluntate moraliter determinantem illam ut liberos actus eliciat.

In causis liberis assignatur ab aliis authoribus peculiaris necessitas praeuiæ motionis Dei, quae in causis naturalibus agentibus non inuenitur, quae nascitur ex indeterminatione, & indifferentia quoad speciem, & quoad exercitium eius, quam agentia naturalia non habent positis omnibus praequisitis ad agendum: voluntas autem libera habet illam, & ideo indiget determinari à superiori causa, ut actum in specie definitum, & in tempore determinatum efficere, & inchoare valeat. Quia verò aliqui ex dictis authoribus loquuntur tam de prae-determinatione morali, quam de physica, in hoc capite dicemus de morali, postea de physica. Ledesma ergo in prædicta q. a. 2. concl. 1. docet voluntatem hominis non posse ad actum liberum determinari, nisi moraliter à prima causa per concursum praeuium determinetur, quod ibi ratum probat de actibus bonis, sed multa adducit pertinetia ad gratiae auxilia, quae in 1. 5. remitto

In

2.
Status
questionis.

In hoc autem puncto duo dubia sunt distinguenda, vnum est, an hæc determinatio moralis sit possibilis salua libertate, & ab hoc puncto nunc abstinemus vsque ad lib. 5. quia hic solum agimus de motione quæ ex vi generalis concursus datur. hoc autem illa tantum est, quæ est necessaria, quia concursus generalis semper est necessarius. Aliud ergo punctum proprium huius loci est, an ille modus promotionis determinantis moraliter sit necessarius causæ liberæ ad se determinandum. Quia verò generalis concursus propriè videtur significare influxum physicum primæ causæ, ideo videri potest omnino aliena à tali concursu motio, vel prædeterminatio moralis; re tamen vera non ita est, quia ipsa etiam moralis motio sine generali, & physico concursu non fit.

3.
Duplex
motio mor-
alis in vo-
luntate pri-
ma ex parte
obiecti.

Quod vt declarem, aduerto voluntatem duplici indigere motore, altero ex parte obiecti, seu, quod idem est ferè, ex parte intellectus; altero ex parte ipsiusmet voluntatis, vt in illa, vel cum illa efficiat ipsum voluntatis motum, seu actum. Primus motor distinctus à voluntate, vt per se patet, & motio illius, antecedit necessariò actualè determinationem voluntatis vel ordine temporis, vel saltem causalitatis, seu naturæ, quia voluntas non potest ferri nisi in obiectum cognitum, & ideo necessarium est, vt ab illo, & consequenter ab intellectu, & proponente illud prius alliciat, & moueatur. Hæc autem motio solet dici metaphorica, vel moralis, non propriè physica, quia non est per propriam, & per se efficientiam in ipsam voluntatem. Motio enim obiecti appetibilis respectu appetitus solum est in genere causæ finalis, & ideo metaphorica dicitur. Vnde ex vi talis motionis, vt antecedit consensum liberum, & realem, nihil reale imprimitur voluntati, quod sit præuium ad actum suum, sed solum per naturalem colligationem potentiarum animæ, proposito obiecto per intellectum inuitatur voluntas, & allicitur, atque ita metaphoricè mouetur ad tale obiectum amandum, vel si quando resultat aliquis naturalis, & indeliberatus motus inclinans ad consensum in tale obiectum, talis motus non fit ab obiecto, vel ab intellectu, sed fit ab ipsa voluntate cum sit vitalis, proceditque ex naturali propensione, quam habet ad bonum, quæ naturaliter prorumpit in similes imperfectos motus, quam ob rationem imperfectè deliberat. Denique quando ratio proponens obiectum etiam consulit, & suadet, vt ametur, de se excitat moraliter voluntatem, quæ etiam iuuatur illis motibus imperfectis ad se inclinandum indeliberatum consensum, & ideo etiam hæc motio dicitur effectiua non physice, quia non per se, nec propriè facit volitionem ipsam liberam, sed moraliter, quia modo quodam liberè actibus accommodato trahit voluntatem ad consensum. Et hoc modo quicumque proponens obiectum voluntati, & persuadens, vel exhortans hominem ad illud appetendum, dici potest motor voluntatis in hoc genere, seu causa moralis efficiens, vt constat ex Aristot. 2. Phys. & 5. Metaph.

Aristot.

4.

Altera mo-
tio ex ipsa
met volun-
tate.

Alter ergo voluntatis motor respectu actuum liberorum, est ipsamet voluntas, seu homo ipse per illam: nunc enim de formali principio mouendi, seu agendi tractamus, & ita potentiam ipsam lato modo, moto rem appellamus: sic ergo assertum hoc certissimum est, non solum quia motus ille est vitalis actus, de cuius ratione, & natura est vt fiat propriè, ac physice à potentia vitali, quam afficit, sed etiam quia non posset esse actus liber, nisi ab ipsa voluntate effectiue procederet, vt in primo Prolegomeno probatum est; & apertè colligitur ex Conc. Trid. sess. 6. c. 5. & can. 4. hoc autem intelligendum est de motore, seu efficiente proximo, &

Cent. Trid.

per se maximè necessario, siue sit solum, & integrum in suo genere, siue habere possit aliud coëfficiens cum voluntate, vt esse potest vel habitus, vel vnus actus voluntatis respectu alterius, quando inter se sunt ordinati, vt intentio, & electio, amor, desiderium, & similes, vt est probabile: vel (vt alij etiam volunt) obiectum cognitum, vel cognitio eius, seu iudicium intellectus etiam efficit volitionem, quod licet fortasse minus probabile sit, nihil ad præsens refert, quia obiectum, vel cognitio secundum talem efficientiam, si illam habet, saltem non est præmotor, id est, non efficit in voluntate aliquod præuium ad actum liberum, quo illam determinet ad illum efficiendum, sed ad summum coëfficiens cum illa actum eius, neque amplius dicunt cui obiecto, vel cognitioni aliquam physicam efficientiam in actum voluntatis tribuunt. Nec aliud potest cum fundamento, vel probabilitate cogitari, aut explicari, vt nunc ex consensu Theologorum, & Philosophorum suppono.

Addimus ergo ad veramque ex his motionibus esse necessarium generalem concursum Dei effectiuium propriè, & physice. Et de posteriori quidem manifestum est, quia voluntatis effectiuium in motum suum actum est propria, & physica, & voluntas nostra est principium creatum agendi, ergo indiget auxilio generali Dei, physice etiam, & propriè coëfficiens. De priori autem diuersa ratio videri potest, quia motio obiecti, & intellectus respectu voluntatis, & prout antecedit actum eius, est solum motio finalis metaphorica, seu moralis, per quam nondum fit propriè, & physice aliquid in voluntate; ergo ad illam non videtur necessaria propria efficientia physica Dei per generalem concursum. Sed considerandum est licet motio illa respectu voluntatis sit moralis, seu finalis, nihilominus in re ipsa non fieri sine efficientia aliqua propria & physica intellectus cognoscentis, & præstantis obiectum, ac de illo iudicantis, quod non potest intellectus efficere sine physico, & proprio consensu generali Dei. Et ratione huius concursus verissimè dicitur illam motionem moralem non fieri sine concursu generali Dei. Hic autem concursus licet respectu intellectus sit physica motio respectu voluntatis, est tantum moralis, & hoc solum probat ratio dubitandi proximè proposita. Et quod valde notandum est, ille concursus respectu intellectus, tantum est motio cooperatiua, non prædeterminatiua, nec præuiua, iuxta dicta in præcedentibus capitulis, quia intellectus de se naturali modo operatur, & non liberè, & maximè prout antecedit liberam motionem voluntatis, sicut nunc consideratur. At verò respectu voluntatis illa est præmotio moralis, & ideo Deus ratione illius concursus, quem physice præbet intellectui, potest aliquando dici moraliter præmouere voluntatem. Hæc item præmotio sæpè inducit proximè aliquè naturalem ac necessarium motum, qui etiam respectu consensu liberi est præuius, & morali modo ad illam excitat per quamdam sympathiam, & consensionem: quatenus autem motus ille naturali modo fit à voluntate, indiget motione Dei physice cooperante, non præuiua, iuxta hæc dicta, quatenus verò ille motus moraliter mouet voluntatem ad alium, Deus etiam physice concurrens ad illum moraliter præmouet voluntatem ad alium actum, si honestus sit, vt infra dicemus.

Et hæc ergo declaratione constat in præsentipuncto Deum prout concursum necessarium præbere ad actus vitales intellectus, vel voluntatis præuios ad consensum liberum eiusdem voluntatis, per talem concursum facere in nobis aliquod præuium ratione cuius potest etiam dici Deus præmouere voluntatem nostram ad liberum consensum, &

hanc pramotionem saltem ex parte intellectus esse ex natura rei necessariam ad vsum liberum voluntatis. Ex necessitate igitur huius pramotionis, incutit dictus author necessitatem moralis praderminationis. Vereor tamen ne in verbo *praderminationis* tam in se, quam comparatum ad verbum *promouendi*, seu *pramotionis* equiuocatio committatur, & ideo aduerto duobus modis dici posse voluntatem determinari, scilicet, vel quoad specificationem tantum, vel etiam quoad exercitium. Prior praderminatio potest dici de se sufficiens, non tamen efficax, vel etiam dici potest conditiuata, non absoluta, atque hoc modo obiectum, vel consilium pramouens voluntatem, dici potest praderminare illam, quantum est de se ad talem speciem actus, si motionem illam sequi vidit. Atque hoc modo omnis pramotio voluntatis potest dici praderminatio. Alia verò est praderminatio absoluta & efficax, quia illa posita etiam si moralis sit, voluntas ex vi illius ad exercitium actus determinatur, & de hoc genere praderminationis in presenti sermo est. Hæc autem significatio secundum proprietatem, & receptum vsum verborum non conuenit verbo *promouendi*, quod generalius est, & ideo cauendum est ne ex necessitate pramotionis moralis voluntatis inferatur necessitas dictæ praderminationis, erit enim inutilis illatio.

Vt autem hoc declarem, aduerto in voluntate secundum se spectata, id est, priusquam moueri incipiat, vel obiectum ei proponatur, duo considerari posse. Vnum est, quod est in potentia, vt moraliter moueatur; aliud quod est indifferens, & indeterminata ad volendum, vel nolendum. Pramoueri ergo moraliter nihil aliud est, quam pramoueri aliquo morali modo ab alio priusquam ipsa operetur, hanc enim prioritatem particula *præ* indicat: praderminari autem est eius indifferenciam coarctari, & ad id efficiendum, ad quod pramouetur, illam determinari ab alio, priusquam ipsa operetur: eandemque etiam prioritatem particula *præ* denotat, addita verbo *determinandi*, quam indicat, addita verbo *mouendi*. Plus ergo est praderminare, quam pramouere: vnde omnis qui determinat, pramouet, quia illa prauia determinatio non fit sine motione: non tamen è contrario, omnis qui pramouet, praderminat, quia potest talis esse motio, quæ antecedit, vt voluntatis indifferenciam coarctet. Vnde qui consilium, & qui petit, moraliter pramouet, non tamen praderminat modo prædicto; & Daemon tentando pramouet nostras voluntates, non tamen praderminat, & pulchritudo obiecti nos inuitat, & pramouet, non tamen praderminat. Itaque si rigor, & vsus verbi *praderminandi* obseruetur, praderminatio supra pramotionem addit, quod motio prauia talis sit, vt ex vi illius, & veluti quadam necessaria moralique consecutione voluntas eliciat illum actum liberum, ad quem pramouetur; hoc enim est determinare, seu limitare, & coarctare indeterminationem, quam voluntas ex se ante talem motionem habebat.

Vterius verò distingui solet praderminatio, in physicam, & moralem, quæ voces possunt distinguere vel modum causalitatis talis pramotionis respectu actus liberi, vel modum necessaria connexionis cum illo, quæ duo sunt valde consideranda, & distinguenda in tota hac disputatione, quia difficultas eius consistit in connexionione alieuius pramotionis à causa intrinseca pramouentis cum subsequenti actu libero, magis quam in modo causalitatis physice, aut moralis. Quamuis enim motio aliqua præcedat actum voluntatis, & ad illum moueat; & quando ille fit, sit causa illius vel moralis, vel physice, si non habeat aliquam necessariam

connexionem cum illo, ita vt illa posita infallibiliter sequatur talis actus liber, erit pramotio, non praderminatio voluntatis, neque physica, neque moralis, quia neutro modo præoccupet (vt hic dicam) neque prius coarctat indifferenciam eius, quam ipsa liberè operetur. At verò si motio præcedat & infallibiliter inducat consensum, erit praderminatio: tunc autem ex modo causalitatis dicitur physica, si physice influat in consensum: moralis autem, si tantum moraliter moueat; hæc autem diuersitas non multum variat, aut minuit difficultatem, si necessitas consequentis consensus, & motionis esset æqualis, vt postea videbimus. Aliter enim possunt voces illæ determinare connexionem prædictam, vt illa pramotio dicatur physice praderminare, quæ omnino infallibiliter ex vi suæ causalitatis inducat consensum, siue causalitas ipsa sit moralis, siue physica, sic enim non dicitur physica praderminatio, quia physice causat, sed quia in se est quid reale, & physicum, quo posito, impossibile est, non sequi consensum. E conuerso moralis praderminatio dicitur si non sit tam infallibilis consecutio, quin interdum possit deficere, & solum dicatur moralis, quia vltimum ita contingit, vt saltem quia non sequitur per se extrinseca causalitate physica, vel morali, licet aliunde semper ita eueniat, moraliter loquendo.

Primo ergo certum est voluntatem non posse ad actum liberum, & honestum determinari, nisi à Deo moraliter pramoueatur. de hoc puncto nunquam fuit inter nos controuersia. Quod si dictus author in hoc tantum sensu vtitur verbis praderminandi moraliter, iniuste me reprehendit, quasi id negauerim, quia ego hanc partem latè probaui in eodem loco de Auxilijs, quem citat, & de illa procedunt omnia quæ de sancta cogitatione ad honestam operationem necessaria dixi in lib. 1. huius operis, & nunc probata breuiter ex dictis est, quia voluntas non potest actum liberum honestum facere, nisi prius per honestam cogitationem, vel iudicium moraliter pramouëatur, sed talis pramotio non potest fieri, nisi vel à Deo solo, si velit illam efficere, vel saltem à Deo concurrente cum aliqua causa secundà hominem excitante, vt iam declarauimus. In utroque autem modo Deus verè, & propriè dicitur pramouere moraliter voluntatem hominis ad actum liberum honestum; ergo. Minor quoad priorem partem per se nota est, & illam omittimus, quia non pertinet ad communem prouidentiam modum, & generalem concursum, de quo nunc tractamus. Quoad alteram partem probatur, quia quando causa secunda pramouet moraliter voluntatem, Deus concurret cum illa, vt constat, ergo tunc etiam Deus pramouet per illam, saltem physice concurrente ad pramotionem moralem. Vterius verò quando pramotio est ad actum honestum, Deus non solum physice concurret ad illam, sed etiam moraliter, quia illam intendit, & quantum in se est, ad hoc ordinat creata obiecta, vt homines ad actus honestos inducant, & præterea adiungit suum præceptum, vel consilium, vel saltem moralem approbationem, & ideo non tantum physice, sed etiam moraliter concurret. Et in hoc sensu procedunt multe ex rationibus dicti authoris, præsertim prima, quæ de initio boni operis per motionem prauiam ordinis naturalis procedit, de qua nos supra in lib. 1. latè diximus. Aliæ verò rationes, præsertim 4. 5. & 6. quæ sumuntur ex prædeterminatione, & præscientia Dei, ærè ostendunt dictum authorem loqui de praderminatione in rigore supra declarato.

Vnde dico secundo causam liberam ad suos actus connaturales efficiendos, non indigere præde-

9. Afferio, voluntas indiget aliqua moralis Dei pramotione.

10.

Q

ter.

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

2. Assertio,
causalibera
ad actus
connatura-
les efficien-
dos non e-
get præde-
terminatione
moralis.

terminatione morali, præsertim ex vi concursus, & prouidentia generalis. Probatur, quia ut voluntas moueri possit liberè per actus ordinis naturalis, non indiget alia morali præmotione Dei, præter illam, quam facit per iudicium rationis sufficienter præponentis honestatem obiecti; sed hoc iudicium licet præmoueat, non prædeterminat moraliter voluntatem; ergo non est alia prædeterminatio ex parte Dei necessaria. Maior supra in lib. 1. satis probata est, ibi enim ostendimus ad actus honestos ordinis naturalis sigillatim sumptos, per se loquendo, non esse necessarium speciale auxilium gratia, sed sufficere lumen rationis præponentis obiectum sufficienter cum naturali facultate liberæ voluntatis. Vnde etiam ibi ostensum est cogitationem honestam naturalem haberi posse per generalem concursum Dei, & per illam posse etiam voluntatem honestum actum elicere; ergo ex parte Dei non potest exigi alia specialis præmotio moralis. Minor autem, nimirum, hanc cogitationem honestam non prædeterminare moraliter voluntatem, per se videtur euidens. Primò experientia, quia cum tali cogitatione sapius, & fortè frequentius homo non bene operatur moraliter; ergo signum est, talem cogitationem non prædeterminare voluntatem moraliter ad actum liberum, quia (ut dixi) ad hanc prædeterminationem necessarium est, ut præmotio moralis sit adeò efficax, ut vel semper, vel vix plurimum à voluntate obineat liberum consensum. Secundò à priori, quia libertas voluntatis oritur ex indifferentia iudicii, ut cum D. Thoma 1. p. q. 83. art. 1. supponimus; ergo stante iudicio omnino indifferente, quantum in ipso est, eo modo, quo esse potest, scilicet ex parte obiecti proponendo rationem boni, & mali, & honesti, aut ardui, quæ in ipso est, manet integra libertas voluntatis ad honestum actum eliciendum; ergo talis præmotio moralis per illud iudicium facta est sufficiens ut voluntas eliciat actum honestum si vellet; ergo non est necessaria prædeterminatio. Probatur hæc vltima consequentia, quia illud iudicium non prædeterminat moraliter voluntatem, nam æquè indifferenter illam relinquit ad refutandum obiectum propositum propter arduitatem, vel alium incommoditatem in illo simul cognitam.

D. Thom.

11.
Confirmatur & amplius declaratur.

Tertiò idem confirmatur, & declaratur, quia si prædeterminatio illa moralis intelligatur esse prædeterminatio simpliciter, id est, quæ de se infallibiliter effectum liberi consensus obineat, potius repugnat libertati, quàm illam inuenit: non potest enim aliunde prouenire nisi ex eo, quod ratio non repræsentat planè obiectum, sed sub vna tantum ratione; nam hæc moralis ratio, per se non fit, nisi medio iudicio rationis; quomodo ergo potest ratio illo modo determinare voluntatem ad vnum, nisi de vna tantum ratione obiecti iudicando? hoc autem est contrà vsum libertatis, nam ut actus voluntatis liberè fiat, necesse est, ut habeat obiectum sufficienter propositum, ad videndum, vel nolendum. Nam, ut rectè dicit D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 2. ad 2. et eo, quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas, in vtrumque potest; ergo libertas actus voluntatis requirit ex parte iudicii actuale indifferentiam obiectiuam; ergo non potest ad actum liberum prærequiri talis prædeterminatio moralis; quæ ex vi præmotionis moralis infallibiliter voluntatem in consensum iudicat; quin potius talis præmotio licet in modo causandi dici possit moralis, seu finalis, in modo prædeterminandi esset physica, & induceret necessitatem intrinsecam, qualis est in actibus indeliberatis, quorum necessitas oritur ex interno appetitu naturali, supposito impedimento in rationis deliberatione, sine qua non potest esse vsum libertatis. At vero si præ-

D. Thom.

determinatio moralis minus rigorosè dicatur ob frequentem determinationem, & quia difficultate oppositum euenit, in rigore non repugnat libertati: non potest autem esse necessaria ad liberè, & honestè operandum, quia hæc moralis prædeterminatio non potest prouenire, nisi ex vehementi consideratione boni, & remissa consideratione mali, vel ex aliqua præuia propensione naturali ad bonum potius quàm ad malum: quid enim aliud potest cogitari? At nihil horum necessarium ad operandum bonum, quia neque est necessaria aliqua consideratio mali, nec inclinatio habitus, vel consuetudinis, vel alicuius affectionis indeliberata, quæ præcedat; hæc enim omnia accidentia sunt, ut per se constat, & sine illis voluntas habet vim eligendi bonum sibi propositum, cum tamen sine aliquo huiusmodi intelligi non possit, vnde talis moralis prædeterminatio prouenire possit; non est ergo talis prædeterminatio ad bene operandum ex parte Dei necessaria.

Sed obiciunt, quia posita præmotione morali sufficiente voluntas libera manet, & indeterminata; ergo ut honestè determinetur, necessaria est aliqua præmotio, quæ moraliter illam prædeterminet, aliàs efficacia diuinorum auxiliorum naturalium, non in Deum, sed in voluntatem esset referenda, quod est absurdum, quia cum efficacia sit id, quod præcipuum est in diuinis auxilijs, illa maxime in Deum referenda est. Et confirmatur, primò quia si Dei voluntas moraliter non prædeterminaret, bona, vel mala temporalia, quæ hominibus eueniunt, non essent in Deum referenda, quia communiter veniunt ex negotiatione, vel operationibus humanis, quæ per liberam determinationem fiunt; ergo si voluntates hominum non prædeterminarentur à Deo, effectus ex illis prouenientes non refunderentur in Deum, & consequenter non essent gratia Deo agenda pro his bonis, ut, verbi gratia, quando pauper accipit eleemosynam à diuite, potest quidem, & debet gratias agere homini danti, quia sua voluntate se ad id determinauit, non tamen Deo, qui voluntatem dantis non prædeterminauit. Confirmatur secundo, quia Scriptura tribuit Deo hanc prædeterminationem moralem respectu voluntatis, ut latè probat Augustinus lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 20. eo quod 2. Regum 17. dicitur Domini nutu dissipatum fuisse consilium Achitophel, agendo scilicet in corde Absalon, ut tale consilium repudiaret, & quod Esther 5. dicitur Deum conuertisse cor Assueri, &c. Simile est illud Genes. 43. Deus autem meus omnipotens facit illud vobis placabilem. vbi Caietanus notat, petissè Caietani Iacob à Deo, ut animum præfidis Egypti flecteret. Et similia leguntur sæpe in Scriptura 1. Regum 10. & 11. & Iudith 6. & 14. Ac denique illud est vulgatissimum, Cor Regi in manu Dei est, & quocunque voluerit, vertet illud, Proverb. 21.

Ad primam rationem negatur prima consequentia, imò addimus oppositum sequi ex antecedenti: nam si posita præmotione morali, voluntas est verè libera, & indifferens cum illa sola præmotione morali, si Deus præbeat generalem concursum, poterit honestum actum elicere, nam si vltra illam præmotionem moralem sufficientem ad eliciendum actum liberum, est necessaria alia motio moraliter prædeterminatiua, profectò illa prior non erit sufficiens in suo genere causæ moralis, quia in eodem genere alia maior, & efficacior necessaria erat; ergo falsò appellatur illa prior præmotio sufficiens. Falsum item est voluntatem cum illa sola esse moraliter liberam ad operandum, cum per illam solam moueri liberè non possit ad talem actualem, nisi maior adhibeatur. quæ ratio per se sufficientissima in hac materia est, eam in lib. 6.

fib. 5. preſſius vergebimus. Veruntamen etiam ad hominem poteſt confirmari, quia prædeterminatio illa moralis, ſi neceſſaria eſt, proſectò ex parte actus primi, & virtutis actiue voluntatis neceſſaria eſt, quia omnino antecedit actum ſecundum, & non poteſt eſſe niſi aliqua cognitio, vel motio interna per modum conſilij, vel attentionis conſiderationis, vel alio ſimili modo; hoc enim modo idem author explicat hanc cauſalitatem moralem in art. i. immediate poſt argumenta. Eſt ergo neceſſaria illa prædeterminatio, vt voluntas habeat integras vires, non ſolum phyſicas, ſed etiam morales ſimpliciter neceſſarias ad illum actum; ergo ſine illa motione non habet has vires, ergo cum ſua præmotione morali non habent ſufficientes vires, & conſequenter nec libertatem proximam ad talem actum. Sic enim idem Author alibi colligit præuium concurſum non poſſe requiri ex parte actus primi, quia aliàs in cauſa ſecunda non ſupponeret virtus ſufficiens ad agendum. Nec minorem habet efficiam hæc ratio in viribus moralibus (vt ſed dicam,) quàm in phyſicis, ſi vtæque tales ſint, vt ſint ſimpliciter neceſſariæ ad vſum libertatis, quia talis libertas prærequirit poteſtatem, ſimpliciter in omni genere; imò non ſolum ex parte virtutis per ſe actiue, ſed ex parte etiam omnium conditionum, quæ ad agendum neceſſariò præſupponi debent, vt in Prolegomeno i. latè diximus.

hanc prædeterminationem moralem esse necessa-
riam ad omne opus: aliud verò esse possibilem, si
Deus velit illam adhibere: constat enim posse
Deum dare abundantius auxilium ad aliquod o-
pus. quàm simpliciter necessariam sit. Hæc autem
duo in illo argumento, vel confunduntur, vel
num malè ex alio inferuntur, nam testimonia, & ex-
empla adducta in illa confirmatione ad summum
probant, posse Deum prædeterminare moraliter
ad bonum, & interdum id facere, quod nunc gra-
tis dæmus: qualis autem sit illa prædeterminatio
moralis, in lib. 5. inter auxilia gratiæ efficacia ex-
plicabimus, quia talis prædeterminatio aliquam
rationem gratiæ semper habet. Hinc autem non se-
quitur talem prædeterminationem esse necessa-
riam, non enim omne possibile necessarium est, ut
per se constat, & hoc est, quod ad præsens pertinet,
& iam monui, quia solum de generali concursu si-
ue physico, siue morali tractamus.

CAPVT XLII.

*Præmium concursum physice prædeterminantem
non esse voluntati libera necessarium,
ut aliquid determinare
velit.*

IN præfenti etiam est sermo de prædeterminatio-
ne efficaciæ, & quoad exercitium, & vt iam nota-
ui, non tractamus nunc, an talis prædeterminatio
sit possibilis, seu compatibilis cum vfu libertatis,
(hanc enim questionem in libr. 5. referimus, sed
tractamus solum ex vi generalis concursus v olun-
tatis liberæ debito necessaria sit.

Dicimus ergo præuium concursum non magis esse necessarium voluntati liberæ ad actus sibi proportionatos, seu ordinis naturalis, quam aliis causis secundis naturaliter agentibus, ac proinde exordinaia lege, seu ex vi generalis potentiaæ solum simultaneum concursum illi tribui. Hanc assertiohem maximè docent authores allegati in cap... & esse S. Thomæ ostendam in capite sequenti, nunc rationem illam ostendo quia si propter aliquid effectus necessarius illo præuius concursus, maximè quia voluntas est potentia indifferens, seu indeterminata, & ideo indiget præuiò auxilio in se recepto, quo prædeterminetur; sed ob hanc causam non solum non est necessaria talis præmotio, sed potius propter illam conditionem maximè consentaneum tali potentiaæ est, vt non detur illi talis præmotio; ergo. Consequentia est nota, & in Maiori conuenimus. Minor ergo probatur. quia indeterminatio voluntatis, quæ illi conuenit, vt est potentia formaliter libera, non est sola indeterminatio potentiaæ passiuæ; sed est indeterminatio potentiaæ actiuæ, habentis sufficientem, & integram vim producendi varios actus ad quos dicitur libera, & aliunde habetalem modum operandi, vt suum actum intrinsecè per se ipsum voluntariè eliciat, aut non eliciat; ergo ad faciendum determinatum actum non indiget extrinsecæ præuia motione determinante illam. Maior probata, & declarata sufficienter est in Prolegomeno I. cap. 2.

Addimus ergo in Minori proprium esse volun-
 tatis ferri in obiectum suum per actum intrinsecē, sicut in
 actus ferri voluntarium, quam proprietatem
 aliquo modo participat appetitus sensitivus; mi-
 nus verò, & sine indifferencia, & ideo non est
 probatur.

Q 2

poten-

Concludimus ergo cum motione morali de le-
hon prædeterminationu voluntatis, posse volun-
tatem libere operari, etiam honestè. Adincon-
ueniens autem quod infertur in prima confirma-
tione, sequimur non esse Deo gratias agen-
das, propter bonos actus liberos, vel propter vili-
tates, ac beneficia temporalia, quæ interdum
illis nascuntur. Respondetur, negando sequela,
quia vti hæc sint beneficia diuina, vel temporalia,
vel etiam moralia, non est necesse vt ex diuina
prædeterminatione morali proueniant, satis est e-
nim quod fiant ex honesta aliqua cogitatione, &
moralis motione à Deo præuisa, & prouisa: vt inter
homines gratias merito agimus hominibz danti bo-
num consilium ad aliquid virtutis operandum, et-
iam si vnus homo alterius voluntatem suo con-
fession non prædeterminet, licet illam inclinet, & præ-
moueat, hæc enim diuersa sunt vt iam admonui.
Item in lib. 1. declarauimus, quomodo cogitatio con-
grua naturalis, sit speciale beneficium ordinis na-
turæ, etiam si de se non magis prædeterminet vo-
luntatem, quam honesta cogitatio sufficiens. Sic
ergo omnia libilia bona, quæ hominibus eue-
niunt, in Deum referenda sunt, non propter
prædeterminationem, sed propter prouidentiam,
& efficientiam, vel physicam, vel moralem iuxta
effectum exigentiam. Vnde in exemplo illo de
paupere accipiente elemosynam à diuite, dici-
mus, debere gratias agere, & danti, quia libera
voluntate se ad illam dandam determinauit, &
Deo, quia & illi cooperatus est, & illum sua prou-
dentia in illam cogitationem congruè induxit,
quod, vtdixi, sine prædeterminatione facere pos-
sit. Huiusmodi ergo illationes, & argumenta
(quod præ oculis, vt dixi, habendum est,) ex ver-
borum æquiuocatione, & confusione prædeter-
minationis, cum omni præmotione morali præced-
unt, & ita intellecta illorum verborum distin-
ctione facile solvuntur.

Altera confirmatio simili defectu laborat. Primum quidem, quia omnia illa, quæ in illo argumento referuntur, possunt à Deo heri per cogitationes accommodatas, & in diuina præscientia ita congruas, vtefectum à Deo intentum infallibiliter consequantur. Deinde, quia longè diuersum est,
Fr. Suarez de Gratia Pars II.

Fr. Suarez de Gratia Pars II.